UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Macarivs Romanvs Conf. 23. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

Quanta eſt mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ? & quantus eſt timor, ne hæc eadem gratia perdatur? Perpende ergo quæ pœna ſit aut proſperitatis deſiderio fatigari, aut adverſitatis timore paveſcere? S. Greg. l. 6. Regiſt.

S. MACARIVS ROMANVS CONF.

23. Octobris.

BEllè Veneri illuſit MACARIVS, cùm nuptiali in thalamo ſponſam reliquit, & Raphaële comite in ultimas ſolitudines caſtitatem aſportavit. Ibi dum antrum ſubit, in geminos catulos & ponè accubantem exanimem leænam offendit. Hanc igitur tumulo infert, catulos de ſuâ menſâ alit educatque. Creſcunt illi, & à nutritii ſui collo innoxii pendent, blandientem lambunt, arridenti adrugiunt blandùm. O ſemper tutior inter feras, quàm non dicam inter mulieres, ſed mulierum etiam umbras virginitas! Prodit foras MACARIVS, ſtrophium reperit è ſindone, è ſerico calceolos. Quid agis, MACARI? Viſcum mitte. Audit allacrimantem malis ſuis vocem. Ah aures obtura! Sirenem audis. Videt mulieris formam omni ſimulachro emendatiorem. Eheu oculos claude! Scorpionem vides. Ecce tecto recipit. Superos teſtor, MACARI! vivam leænam introducis, qui mortuam extuliſti. Quid multis? triumphato hoſpite in fumos abit dæmonium, in lacrymas MACARIVS, in fugam leones. Quin ipſe quoque ſe fugit; ſed obſiſtit bonus ductor Raphaël. Ergo in genua & preces ſe abjicit XL. ipſos dies jejunus. Tum verò conciliatos Superos, primùm leones reduces, deinde multa lux cælo allapſa, tum gratantium Angelorum voces, demùm Chriſtus

ipſe

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ipſe conſpicuus indicarunt. Atque hæc MACA-rius ipſe tribus aliis eremi incolis, nos verò Ma-rianis ideò hodie narramus, ut ſciant ſecuriùs caſtitatem binis leonibus cohabitare, quàm uni fœminæ. *Ex Menæis.*

Contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in præſenti reſiſtere: libidinem verò fugiendo ſuperare: contra hujus impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam; neque tibi ſit verecundia fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere. Auguſtin. ſerm. 250.

SS. MARTYRES NAGRANI.

24. Octobris.

NOn jam ſingulos Martyres producere in arenam, & cum tyrannis componere, ſed producere in campum plenam aciem juvat, & totam pro Chriſto pugnaturam urbem Nagranam armare. Cave tamen cùm in exercitu noſtro ſacros homines, ſenes, matronas, pueros, & adeò puellas vides, apparatum noſtrum riſeris. Videbis majores corporibus ſuis animos, & viros ſub ſtolâ, ipſamque in ſenibus juventam, in ſacerdotibus fortitudinem. Ecce enim Arethas (urbi præfectus fuit) XCV. annorum ſenex canos pulchros ſanguine pingit, lauro ornat: potuitne quidquam glorioſius ab hâc ætate fieri? Ruunt cum hoc in mortem eamdem ſocii CCC. XL. an præeuntem ducem non rectè ſecuti milites? Sacerdotes ſacrorumq; miniſtri omnes uno igne cremantur; an pulchriùs poterant ſacrificare? Puella XII. annorũ in faciem Dunaani tyranni ſputo pugnat, eadem cum ſorore ferro jugulum dare non abhorret; an non fortiter utraque? Vtriuſque ſanguinem mater ore ſuo libat, mox ſuum miſcet; an non viriliter fecit mulier?